Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

et non fuit multitudo precij in emptionibus eorum quia minimo
aut nullo precio ducebantur in seruos
Posuisti nos obprobrium persecutoribus nostris qui vicini
nostri sunt secundum habitacionem humanam et subsannacionem et
derisum eis qui sepe exprobrant nobis irridendo dicentes
veniat deus vester ut eruat vos de manibus nostris
Posuisti nos gentilibus in similitudinem ut de nobis for-
mam maledictionis sumant alios maledicendi sic parcat
sic mouearis sicut ille lapidatus fuit stephanus vel arsus
ut laurencius et posuisti nos commocionem capitis in populis
ad insultandum nos et deridendum dicentibus nobis quod
propter scelera nostra dampnationi addicti simus vel
deputati
Quid per singula currimus Tota die verecundia ob-
probriorum nostrorum continuo in conspectu meo et confusio faciei
mee induit uultum meum rubedine signum enim verecun-
die est rubor in facie
Et hoc A voce exprobrantis .i. ingerentis michi obpro-
brium in facie et occulte detrahentis ex omni parte au-
dio obprobria et blassfemias ab instancia inimici odio
habentis me et actu persequentis
Dicunt martires Hec omnia mala venerunt super
nos quasi fera terribilis quasi fluuius turbulentus et pa-
cientes pertulimus nec propter omnes predictas grauissimas
molestias obliti sumus te non habentes in iugi memoria
inique non egimus timore mortis in lege tua quam parati
sumus obseruare
Nec recessit retro cor nostrum aduertendo se a fide et
caritate tua et semitas nostras que erant in prosperitate et
voluptate seculi declinasti a via tua que semper fuit bona
et sancta et ostendisti nobis viam artam et angustam
que ducit ad uitam
Non sumus obliti te Quia humiliasti nos in loco afflic-
cionis et cooperuit nos hec mors temporalis que in

hora temporalis [illegible] mortis